quam ex iis, quæ dicta sunt supra, conjicias licet,
quanta gloria et honore dignus Moses, atque beatus
Prophetarum coetus habitus sit, ac quod omnino cum
Gratia consonet Lex. Nam cum jam perfecisset opus redem-
tionis amator humani generis bonus Deus, victorque esset
et mortis et ipsius qui mortem generi nostro intulit, quum
jam spoliata morte resurrexisset, corpusque, dudum ab anima
sejunctum, rursus assumsisset, atque inter hos, qui Cleopham
comitabantur, iter faceret, neque ibi Dominum agnoscerent:
ignorantiæ eos, magisque adhuc amentiæ et tarditatis ad
fidem accusat. Neque vero aliunde [quam quidem e Prophe-
tis et Mose] erigit eosdem, vel ad meliorem cognitionem
duxit: cum quidem facile esset manus ostendere, et latus,
et pedes; ut quæ membra notas clavorum et lanceæ ferebant,
atque ipso eo quod passa erant, quisnam esset passus, docebant;
quemadmodum per eadem postea discipulorum, qui ~~de~~ de re ambi-
gebant, incredulitatem solvit. Sed neque mentionem facit, ~~per~~ se
ante passionem, quum esset adhuc inter ipsos, se hæc iis præ-
dixisse, quibusque ~~tam~~ miraculosæ sane operationis sermonibus veri-
tatem hanc complexus esset: cum quidem ~~ex~~ hæc revocaret iis
in memoriam, quibus ~~postea~~ postea apparuit. ~~Nihil~~ At
horum nihil afferens, neque ex passionibus salubribus
suis materiam vel ad corripiendum, vel ad docendum de-
sumens, sed velut tantum ostendere velit certatim ~~velut~~
quasi concurrere ad veritatem corroborandam, hominumque
intellectum illuminandum suos sermones ac passionem,
tum et Mosaicas et Propheticas voces; aliis quidem
~~quum~~ vulnerum notas in corpore ostendendo, deque his commonendo,
quæ ~~que~~